

270

Lib. II. Cap. V. II.

objectum huiusmodi enunciationum potest aliter atque aliter se habere: ita tales enunciationes objecto possunt conformari & non conformari, adeoque simul habent potentiam, ut scilicet objecto possint conformari, & veræ, & objecto mutato aut aliter se habente, non conformari; & sic falsæ esse: e. g. hæc duæ: *Petrus ambulat, Petrus non ambulat*, simul possunt esse veræ, h. e. simul habent potentiam ad veritatem, (idem de falsitate est iudicium): sicut enim Petro ambulante prior est (& sic etiam potest esse) vera, ita, cum Petrus qui ambulat, possit etiam non ambulare, posterior quoque simul cum priori apta est ad veritatem, & sic simul possunt esse veræ. (2.) ut simul determinet verbum esse, ut sensus sit: contradictorias posse simul esse veras; aut simul esse falsas; hoc modo falsum est contradictorias posse veras aut falsas simul esse & hoc sensu intelligendum est, quod dicitur contradictorias non posse simul esse veras aut falsas.

32. Nota 2. Errorem Aristotelis lib. de Interpretatione cap. 9. ubi concedit quidem, contradictoriarum & singularium, quæ sunt de presenti & præterito, semper alteram veram, alteram falsam esse, e. g. cum dico: *O. aqua est humida Q. aqua non est humida, Plato disputavit, Plato non disputavit*: harum semper juxta ipsum Arist., altera est vera, altera falsa.